

loci obviarunt; qui post maximam moram, urgente bello acerbo, terga dedere fugae; quos persecuti sunt nostri usque ad castrum, occidendo et capiendo. Die autem illa, facta est strages inimicorum non modica.

De praelio apud Sanctam Luciam commissio.

CAP. XLIV.

Volentes cives Ravennae proprias et Liviensium atque Castilloni vindicare ^a injurias [a], coadunato exercitu [b] a partibus Veronae, Ferrariae, Marchiae atque Cerviae, anno d^r Domini MCXLV in mense Junii [c], comitatum hostiliter intraverunt Faventium; quibus in campum, qui nunc de Contra [d], obviaverunt cives. Verum, quia nox jam fere aderat, bellum in alterum distulerunt diem [e]. Media autem nocte, in plebem Corletae [f] se transtulerunt hostes; cuius campanile, Dei postposita [g] reverentia, prostrarunt in planum. Congregato nempe exercitu maximo ex partibus Romanie, et eis coniuncto marchione Corrado [h], praefati mensis die xvii, ad Sanctam Luciam [i] venerunt, quos ut Faventini viderunt, induerunt se loricas, [k] sicut gigantes, et apprehendentes arma bellica, similes facti sunt leoni [l] in operibus suis, et tanquam catuli leonum, rugientes in venatione sua; clamaveruntque ad Dominum dicentes: *Adjuvet nos [j] Deus salutaris [k] noster, defensor noster. Contere Domine castra hostium hodie, sicut contrivisti castra Sisarie et Lebae in manu Gedeon [l]. Da nobis fortitudinem, Domine; tabefac audaciam eorum. Adjuva nos, beate Petre, vexillifer noster. Et his dictis, atque quamplurimis jam vulneratis sagittis, omnes pro posse clamantes, cunctis tubis, orvis, buccinis sonantibus [m], hostes invadunt viriliter. Bellum gladiis geritur; clamor et stridor ad sydera tollitur; dumque Ravennates, qui erant in dextero cornu praelii, cedere viderentur, occurrit illis [n] cum multis electis [o] Petrus dux Ravennae, ac totius exercitus ductor et dominus, quorum ictus cum quidam de civibus diu pati non possent, per jactum lapidis inimicis terga dedere. At ubi viderunt alios optime praeiari in parte sinistra (quod est mirabile dictu) quasi ad unius visionis vocem, frontem*

[a] *vindicare injuria.* Sic legendum est. *Iudicare*, ut habent Codd. M. et V., vitiosum reputo. — [b] *coadunato exercitu*, C. V. In C. M., que adunato, mendose. — [c] *in mense iunii.* Sic Codd. M. et V. In C. A., die octava iunii. — [d] *qui nunc de Contra*, subintellige dicitur. — [e] *distulerunt diem.* In C. M., *distu distulerunt.* — [f] *Dei postposita*, C. M.; *deposita*, C. V. — [g] *marchione Corrado.* Sic Codd. — [h] *induerunt se loricas.* Sic legendum; etsi C. M. habeat *induerunt se loricas.* — [i] *Similes facti sunt leoni.* Post vocem leoni, in C. M., exiguo intervallo, occurrit littera unica, quae videtur esse O subsignatum. — [j] *adjuvet nos*, C. V. In C. M., adiuuat nos, fortasse pro *adjuba nos.* — [k] *Deus salutaris*, C. M.; non *salvator.* — [l] *in manu Gedeon*, C. M. In C. V., *Gedeonis.* — [m] *cunctis tubis orvis buccinis sonantibus.* *Orivis* habere videtur C. M.; et re ipsa habet C. A.; anne pro *aureis*, vel *aencis?* In C. M. etiam legi posset *oruris*, habetque sic C. V. An pro *oriduris*, id est, ut sonat barbara vox, *duri oris?* Cl. Mitt. in C. M. scriptum putat *orviis*, et, pro *orviis*, substituit *orgiis*. Sed non facile probabitur ab eis, qui hac voce accipiunt festa quaedam Bacchi, aut illud exclamantis signum, quod scribitur *orge*, valque ac *urge et occide*, ut explanat Glossarium Du-Fresne et Du Cange. — [n] *occurrit illis*, C. M., pro *succurrerit*, vel *accurrit*. — [o] *cum multis electis*, C. V. et cl. Mitt. In C. A., *cum militibus electis.*

[A] Idest Pieve di Corleto, o Corleda, quatuor hinc milliariis, versus ortum et septentrionem.
[B] Nunc Santa Lusa, versus montes ad meridiem, quatuor hinc milliariis.